

*Enrico Ruffo conferma al figlio Ruggero
la donazione del feudo di Bonesio
con il consenso dei nipote Pietrino*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Enrico Ruffo conferma al figlio Ruggero
la donazione del feudo di Bonesio
con il consenso dei nipote Pietrino*

1325-09-10

In nomine Domini Amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Die decimo mensis septembris, none inditionis apud castrum Sinopolis, Iustitiariatus Calabrie. Regnate Serenissimo Domino nostro Rege Ruperto, Dei gratia Inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comite, regnorum suorum anno decimo septimo feliciter amen.

Nos Henricus Ruffus de Calabria miles Sinopoli Dominus in presentia Nicolai de Regio Iudicis Terre Sinopolis, Petrilli de Guizzaramo publici notarii per totum Iustitiarium Calabrie, et testium subscriptorum ad hec vocatorum et rogatorum. Notum facimus per presens publicum scriptum, tam presentibus, quam futuris, quod cum habeamus teneamus, et possideamus quam plura bona Pheudalia immediate, et in capite a Regia Curia in dicto Iustitiariato Calabrie, in quibus Petrus Ruffus de Sinopolo, nepos noster ex quondam Petro milite primogenito nostro, erat de constitutione et consuetudine dicti Regni exclusis aliis natis primogenitis, ipse consequendus successionem, et ne dilectus filius noster Rogerius Ruffus nostre paterne successionis beneficio ipsorum extractione privaretur in casu ex paterna dilectione, quam gerimus, et eundem Rugerium cupientes beneficialibus providere quoddam pheudum, quod vulgariter nuncupatur de Bonenssio, seu de Bonissio positum in Casali Sancti Ioannis Monaco pertinentiis, aliis locis, et partibus Calabrie regionis ubicumque existens de honore, et Baroniae nostrae Sinopolis, per nos sub servitio trium militum immediate, et in capite Regia Curia tenemus,

et possidemus cum casalibus omnibus, vassallis, nemoribus, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, iuribus, rationibus, et pertinentiis suis omnibus, nobis competentibus, et competituris, eidem Rugerio pro se et heredibus suis in perpetuum donamus, damus, concedimus, et tradimus pure, libere, simpliciter bona fide, et irrevocabiliter inter vivos, servitio unius militis bona dicti Casalis Sancti Ioannis, et aliorum bonorum, ubicumque in dicto Iustitiariatu consistens sub servitio duorum militum prestando nobis, et heredibus nostris quoties per Regiam Curiam ad prestandum debitum, et consuetum servitium eiusdem Regie Curie prestare tenemus, fuerimus requisiti dicto Domino nostro Rege Ruperto, et dicto Duce Calabrie primogenito dicti nostri Domini Regis super iis reservato beneplacito ad habendum, tenendum, et possidendum, uti fruendum et gaudendum, et quicquid eidem Rugerio, et suis heredibus de dicto pheudo placuerit perpetuo faciendum, salvo tributum servitio pheudali predicto cum omnibus, et singulis iuribus, rationibus, proprietatibus, iurisdictionibus, usibus, servitutibus, seu requisitionibus nobis in dicto pheudo debitis, ipse et pro ipso modo aliis pertinentibus, seu spectantibus iuraque, res, actiones, et bona dicti pheudi a nobis alienata omnino transtulimus in dictum Rugerium. Predictusque Rugerius ligium omagium prestavit nobis pro predicto pheudo secundum Constitutionem et Consuetudinem Regni in talibus observatam, et quod successive pro predicto pheudo idem Rugerius, et heredes sui, nostrisque heredibus et successoribus in dicta Terra Sinopoli, similiter legium omagium prestat, de quo pheudo, iuribus, Casalibus, et pertinentiis suis omnibus, et in quo filium nostrum emancipatum a nobis, ex certa nostra

scientia, omnibus solemnitatibus observatis, que in talibus consueverunt observari specialiter in corporalem, et vacuam possessionem induximus per fustem, et de eo per baculum, ut moris est, presentialiter investimus. Dantes et concedentes ex antea, et in perpetuum, dicto Rugerio autoritate propria intrandi, et capiendi corporalem possessionem dicti pheudi de Libonensi et iurium omnium ad ipsum pheudo spettantium ubicunque in Calabria existent ipsumque pheuda tenendi, possidendi, gaudendi, uti fruendi, ac habendi semper pro se et heredibus suis ipsumque vendendi, donandi, permutandi, et alienandi, salvo tributum pheudali servitio supradicto. Promittentes predicto Rugerio, et heredibus suis per nos, nostrosque successores in dicta baronia legitime stipulantes, et recipientes promissionem, eadem predicta omnia, et singula, et subscripta perpetuo semper rata habere, firma tenere, attendere, et in nullo contrafacere, vel venire de iure, vel de facto, aliqua ratione, vel causa in iudiciis, scire extra, et nihilominus, omne ius, quod qualitercumque et quomodocumque habebamus, seu habere sperabamus in dicto pheudo, aliquando futuram expresse dicto Rugerio, perpetuo concedimus, et trasferimus, ut idem Rugerius possit agere omnia et singula utilia, et directa facere quod facere possemus per presentes donationem iura et actiones, et omnia alia in perpetuum facere in dictum pheudum, et per nos et successores nostros, defendere, guarantire, discalumniare, et distrigare ipsa ab omni onere, preter pheudale servitum supradictum, nec non ad omnia damna expensas, et interesse facta, vel faciendo, in Curia, vel contra Curiam, reficere, et restituere de quibus credi volumus simplici assertioni ipsius Rugerii, sine iuramento, obligantes etiam nos,

et successores nostros in dicta baronia Sinopolis ad poenam unciarum auri trecentarum dictum Rugerium pro se, suisque heredibus legitimi stipulante, et toties Regie Curie persolvendarum quas pertinentias nos, nostrique successores contravenessemus, volumus quod solvantur integre per iudicem, que dictus Rugerius elegerit summarie, et de plano, sine libelli oblatione ex sola ostensione presentis instrumentum, quantenus contra promissa, vel promissorum aliquod contigerit facere, vel venire. Renuncians expresse exceptioni doli, fraudis, ignorantie, metus, cuiusque facta conditione, vel privilegio fori, beneficio appellationis, restitutionis in integrum per quam donatio per ingratitudinem, vel per nascituros filios, vel quia promissa est insinuatio, facta, vel quia beneficio iuris quo deceptis se venit, et generaliter impugnantur renunciationi, et generaliter omnibus aliis iuribus, Iuris Capitulis scriptis, et non scriptis, Constitutionibus, et Consuetudinibus, Iuris Canonici, vel Civili. Insuper vos presentes iudicem, notarium publicum et testes subscriptos per presens publicus instrumentum, per predicta omnia, et singula acta fuerunt in nostra presentia modo et forma predictis, ut supra peragrata.

1

Unde ad futuram memoriam dictique Rugerii, heredumque suorum predictorum de premissis perpetuo cauthelam rogatu eiusdem Domini Henrici presens publicum instrumentum scriptum dicto Rugerio exinde factum est per manus mei predicti notarii publici scriptum, nostrum qui supra iudicis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Actum anno, die, Nel testo: Sicilie

mense, loco et inditione praemissis. † Ego qui supra
Nicolaus de Regio iudex Terre Sinopolis testor. † Ego
Guglielmus Ruffus de Calabria miles Terre Veteris
Brutiani, et Placanice Dominus predicta testor. †
Ego Nicolaus Oppidensis Archidiaconus me subscripsi.
† Ego Riccardus Telito testor. † Ego Guglielmus
Guaratronas testor. † Ego Guglielmus Musolino testor.
† Ego Guido de Amantea testor. † Ego Petrillus de
Guizzaramo qui supra per totum Iustitiariatum Calabrie
Notarius per Curiam ordinatus predicta scripsi, et me
subscripsi.